

deretur in secundo , tertio , quarto &c.  
momento sui esse , ita ut dicatur *durare*  
(quo respectu dicitur conservari)

7. Duratio quippe & existentia ratio-  
ne tantum distinguuntur, quia in re idem  
sunt esse & porrò esse. Atque ita etiam  
idem sunt creari & conservari, quoniam  
non tendunt ad terminos diversos, uti ca-  
lefactio ad calorem & particularum mo-  
tum , frigefactio ad frigus & particula-  
rum quietem ; verùm ad unum eundem-  
que terminum diversimodè considera-  
tum.

8. Si quis autem omnino velit creatio-  
nem & conservationem tanquam *in Deo*  
considerare, qua ratione nihil aliud nota-  
bunt quām efficacem & æternam Dei vo-  
litionem , ut in tempore existerent & in  
existendo perseverarent res omnes, multò  
adhuc minorem habebit rationem , ullam  
inter creationem & conservationem di-  
versitatem statuendi , quia omnia quæ in  
Deo sunt, sunt ipse Deus, qui unus semper  
est & idem & in quo sunt omnia unum,  
quemadmodum ex iis quæ de Simplicitate  
Dei infra dicemus uberiorius cognoscetur.